

Regnante domino nostro Jesu Christo in perpetuum, anno pontificatus sanctissimi et universalis papae Eugenii III et imperantibus piissimis catholicis et Dei cultoribus Chlodowico et Chlothario, divis imperatoribus, anno VII et X, per indictionem quintam, VIII idus iunii. Secundum Dei gratiam et sanctionem eorum congregata est synodus in civitate Mantua, in qua affuerunt vir venerabilis et sanctissimus Benedictus episcopus et Leo, reverentissimus diaconus, bibliothecarius, legati videlicet sanctae Romanae ecclesiae habentes locum beatissimi papae Eugenii, Sycardus, palatinus presbyter, et vir spectabilis Theoto, a praefatis augustis directi, Petranas quoque, Ravennatis archiepiscopus, atque Angelpertus, sanctissimus Mediolanensis archiepiscopus, provintiae Aemiliae Andrea, Ferrariensis episcopus, Leo, Flaventinus episcopus, Vitalis, Camaclensis episcopus, Christophorus, Bononiensis episcopus, Nordebertus, Regiensis episcopus, Lautpertus, Parmensis episcopus, Georgius, diaconus, Honestus, diaconus, Dominicus, diaconus, Liguriae provintiae Antericus, Vercellensis episcopus, Rambertus, Brixianus episcopus, Erimpertus Laudensis, Synepertus, Cremonensis episcopus, Venetiae provintiae Ratoldus episcopus, Veronensis episcopus, Laulfus Mantuanensis, Franco Vicentinus, Dominicus Patavensis, Adeodatus Tarvisanus, Cemmo Genetensis, Othelbertus Bellunensis, Anselmus Concordiensis, Auratus Feltrensis, Arthemius Asolensis, Andrea archidiacunus, agens vicem Heimberti, Tridentini episcopi.

Residentibus igitur in hac synodo reverentissimis episcopis, adstantibus diaconibus et caetero clero, veniens vir sanctissimus Maxentius, Aquileiensis patriarcha, precum libellos pro dispersione suaue Aquileiensis ecclesiae obtulit, ut suaue provintiae ecclesias, quas barbarorum incursum a sua matrice segregaverat, auctoritate canonum iam pacis tempore percipere mereretur ad propria. Nos, qui veritate perfecta invenimus a beato avangelista Marco, qui spiritualis et ex sacro fontis utero ac carissimo sancti Petri apostoli fuit filius, necnon ab elegantissimo Hermachora Aquileensem aecclesiam pre omnibus Italiae